

Christian Ohm Martinus Sillerus

Disputatio Iuridica De Testamentis, Et qui es facere possint, & quemadmodum fiant

Rostochii: Reusnerus, 1613

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730627063>

Druck Freier  Zugang



R. U. vier. 1613
Christian Ohm 1h -
Resp. Martin Siller

Handwritten red mark or scribble on the right side of the page.

DISPUTATIO JURIDICA

De

18

TESTA-
MENTIS,

Et qui ea facere possint, & quem-
admodum fiant,


Quam

DUCE ET AUSPICE IEHOVA,

Consensu & autoritate Amplissimi Jctorum ordinis
in celeberrimâ Rostochiensium Academiâ,

PRÆSIDE

Clarissimo & consultissimo Viro

DN. CHRISTIANO 

I. U. D.

Pro viribus defendere conabitur

MARTINVS SILLERVS

Memel. Boruss.

Ad diem 23. Iauuarii

ROSTOCHII


Ex Typographia Christophori Reusneri,

ANNO M. DC. XIII.

50
~~151~~

St

I.D. 187. 50.





Serenissimo & potentissimo Principi
Dn. Dn.

JOHANNI SIGI-
SMUNDO,

Sacri Romani Imperii Archicamerario &
Electori Septemviro,

MARCHIONI BRANDENBURGENSI,

Duci

BORUSSIÆ IULIÆ,
CLIVIÆ, MONTIUM,
STETINENSIVM, POMERANORVM,
CASSUBORVM, SCLAVORVM,
IN SILESIA CROSNIÆ,

& CARNOVIÆ,

BURGRAVIO NORIBERGENSI,
PRINCIPI RUGIÆ,

COMITI

MARCHIÆ & RAVENSBURGI,
DOMINO

in,


RAVENSTEIN & c.

Domino meo Clementissimo,

Hanc disputationem juridicam debitæ reverentiæ
ergo submissè offero & confecro

Martinus Sillerus, Membr. Borussus

Lundisbata 1705





THE S I S I.

Testamentum ex eo ita appellatum, quod testatio fit mentis. *pr. Inst. de testam. ordinand. Vlpian. in frag. tit. 20.* jure gentium introductum, postea tamen legibus informatum, Est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit, *l. 1. ff. de testam.*

II.

Antiquitus testamenta in triplici erant differentia. Quædam enim fiebant in ocio & pace comitiis calatis: quædam in procinctu cum militatum egrediendum esset: quædam per æs & libram scilicet quandam imaginariam venditionem, *§. 1. Inst. de testam.*

III.

Sed prædicta duo priora testamentorum genera ex veteribus temporibus in defuetudinem abierunt: Quod verò per æs & libram fiebat, licet diutius permanserit, partim quoque in usu esse desit, *d. §. 1. Inst. de testam. ordinand.* Quare de iis nihil amplius dicturi sumus, sed de his differemus, quæ abrogata non sunt.

IV.

Duplex autem est genus testamenti, quod abrogatum non est: paganum & militare,

A 2

Et est

V,

Et efficiens testamentorum causa est **CONSENSUS SEU VOLUNTAS** testatoris, *h. 1. ff. de testam. LIBERA. tot. t. si quis aliq. testari prohibue. SANA. l. si is qui. 2. & l. seq. C. qui testam. fac. poss. l. 2. ff. de testam. l. pen. §. fin. ff. de legat. 2. & PROPRIA. l. illa institutio. 32. ff. de hered. instit. Reinwaldt*

VI,

Et cum testatoris voluntas propria esse debeat, non pendens ab arbitrio alieno. *l. illa institutio. 32. ff. de reb. dub. l. 25. ff. de condit. & demonstrat. rogari quis non potest, ut heredem aliquem instituat. l. filius. 114. §. ut quis heredem. ff. de leg. 1.*

VII.

Hanc autem testandi voluntatem habent omnes, quibus activa testamenti factio permessa est. Quibusdam enim hæc potestas adempta, vel propter ipsam personæ conditionem; vel ob defectum rerum, quas testamenti factio desiderat; vel denique ob delictum specialiter hac pœnâ notatum.

IIX.

Conditione personæ prohibentur elogium ultimum condere servi. *l. filiusfam. 16. ff. h. t. & §. 1. Inst. eod. Cives Romani, qui sunt apud hostes, quia & ipsi servi sunt hostium per id tempus. §. si ab hostib. Inst. quib. mod. jus patr. pot. solvit. §. fin. Inst. Quib. non est permiff. fac. testam. l. 8. ff. h. t. Obsides nisi specialiter illis permittatur. l. 11. ff. h. t. deportati. l. eius qui. §. ff. h. t. ad ferrum, bestias, & in metallum damnati. quia hi non tantum civitatem, sed etiam libertatem amittunt. §. 1. Inst. de capit. diminut. Unde & servi pœnæ dicuntur. d. §. 1. & l. sunt quidam. ff. de penis.*

Ipsa

IX.

Ipsa personæ conditione etiam filii familias prohibentur, *l. filiusfam. 16. ff. h. t. pr. Inst. quib. non est permiff. fac. testam.* Excepto tamen casu, quo de bonis castrensibus & quasi castrensibus testari volunt. *pr. Inst. quib. non est permiff. fac. testam. §. sed hactenus Inst. de testam. milit.*

X.

De adventitio peculio, cum ejus proprietates constitutione Iustiniani filiis data sit, relicto patri tantum usufructu dubitari forte potest, an filii testentur, præsertim iis casibus, quibus solida proprietates filiis acquiruntur? Et testari eos non posse verius putamus, *arg. l. ult. §. 2. C. de bonis quæ liber, & d. pr. Inst. quibus non est permiff. fac. testam.*

XI.

Ob defectum rerum, quas testamenti factio requirit, testari nequeunt, quibus iudicium mentis & facultas voluntatis declarandæ deest.

XII.

Mentis iudicio carent, qui animi morbo laborant, ut infantes. *l. 1. C. de fals. monet. impuberes. §. 1. Inst. quib. non est permiff. fac. testam. mente capti. §. furiosi. vers. sed & mente captis. Inst. de curat. furiosi. §. præterea. Inst. Quibus non est permiff. fac. testam. Prodigii. §. 1. & 2. Inst. eod.*

XIII.

Prodigum autem intelligimus, qui magistratus sententiâ prodigum declaratus est. *arg. l. 3. C. de in integ. restitut. l. is cui, 18. ff. qui testam. fac. poss.*

XIV.

Si prodigum suæ posteritati probè consuluerit ex

A 3

No

Novell. Leonis 39. testamentum ejus subsistit.
XV.

Voluntatis declarandæ potestate laborant surdus & mutus ita natus. *l. discretis, C. qui testam. facer. poss.*

XVI.

Sed ita factus licet olim non potuit, nisi peritus literarum id à Principe impetrasset, hodiè tamen sine ulla impetrandi necessitate potest. *l. discretis, C. eod.*

XVII.

Surdus tantum aut mutus tantum, sive ita natus, sive ita factus olim non poterat, hodiè tamen citra ullam impetrationem potest, modò surdus articulatè loqui & mutus scribere possit. *d. l. discretis, C. qui testam. fac. poss.*

XVIII.

Cæcus non potest facere testamentum, nisi per observationem, quam lex Divi Iustini introduxit. *S. cæcus, 4. Inst. Quib. non est perm. fac. testam.*

XIX.

Ob delictum specialiter testari vetantur, qui incesti vetitiq; conjugii nuptiis sese funestârunt. *l. si quis incesti, C. de incestis nupt.* Usurarii manifesti, nisi præstitâ cautione de usuris iniquè extortis reddendis. *c. quanquam, X. de usur.* hæretici, eorumq; receptatores, si intra annum excommunicationis satisfacere contempserint. *l. manichæos, 4. S. 1. cum duabus seqq. Auth. C. de hæreticis & Manichæis.* Et denique qui jure improbi intestabilesq; esse jubentur. *l. is cui lege, 18. S. fin. ff. b. t.*

XX.

Sed

Sed quid de excommunicatis? Hos testari non posse verius videtur. *arg. c. decernimus. de sent. excomm. libr. 6.*

XXI

Si filiusfamilias, aut pupillus, aut servus tabulas testamenti fecerit, signaverit, non valent, licet filiusfam. sui juris, aut pupillus pubes, aut servus liber factus decesserit, quia nullæ sunt tabulæ testamenti, quas is fecit qui testamenti faciendi facultatem non habuerit. *l. si filiusfam. 19. ff. h. t.*

XXII.

Si personæ testamenti factionem habuerint testamenti facti tempore, testamentū rectè factum nō infirmatur. *l. 15. ff. h. t. d. S. præterea, in fin. quib. non est permiss. fac. testam.*

XXIII.

Et hæcenus de ipsis Personis, quæ testari possunt: nunc sequitur de materia, id est, rebus, quæ in testamento relinqui possunt.

XXIV.

Et testari potest quis de rebus omnibus propriis. *§. illud. Inst. de testam. ordinand. non verò de alienis, licet hæc rectæ legentur. §. non solum. Inst. de legat. l. cum alienam. 10. C. de legat.*

XXV.

Hinc apparet in feudo proprio seu recto testamenti factionem non procedere, cum jus successio- nis agnatis quæsitum sit: in improprio verò feudo testamenti factio interdum conceditur.

XXVI.

Hac eadem ratione nec mulier jure Saxonum in præjudicium cognatæ, cui debentur utensilia, de
iis

iis testari potest, sicuti nec mortis causa ea donare.

XXVII.

An autem in tabulis membranisque, an verò in chartis aliave materia testamentum fiat, nihil interest. §. *nihil a. Inst. b.* quin imò & pluribus codicibus unum testamentum conficere quis potest secundum obtinentem tamen observationem omnibus factis, s. *sed & unum, Inst. eod.*

XXVIII.

Et hæc de testamentorum materia. Forma seu testandi modus de jure civili duplex est: Aut enim testatur quis fide publicâ vel privatâ. *l. omnium, & ibi Gloss. C. de testam.*

XXIX.

Hinc igitur non incommodè testamentum aliud dicitur publicum, aliud privatum, *arg. l. s. C. de privat. l. in donat. verb. publica monumenta, C. de donat.*

XXX.

Publicum testamentum fit duobus modis.

XXXI.

Aut enim testator ultimam suam voluntatem, libello supplici consignatam principi offert, eamq; omnibus proceribus, & qui in consistorio sunt principis audientibus recitatam in scrinia ipsius referri petit. *d. l. omnium, C. de testam.*

XXXII.

Aut eandem, palam coram iudice vel municipibus apud acta declaratam vel prius scripto comprehensam, quam suam esse testetur, in acta referri petit. *d. l. omnium, C. eod.*

XXXIII.

Testamentum privatum rursus duplex est, solenne aut privilegiatum. Solen-

XXXIV.

Solenne testamentum est, in quō omnes juris Civilis solennitates sunt observatæ, & hoc quia paganorum est proprium. *l. ult. C. de inoff. testam. rectè etiam dicitur paganum.*

XXXV.

At cum scriptis hoc testamentum peragitur, scriptum testamentum dicitur. *s. fin. de testam. ordinand.*

XXXVI.

Cum verò sine scripto voce tantum nuncupatur, nuncupativum dicitur. *l. hac consuetissima. s. per nuncupationem. C. h. t.*

XXXVII.

In testamento solenni seu pagano cum scriptis conficitur, præter heredis institutionem, quæ testamenti caput est. *l. 1. ff. de hered. instit. hæc tria sunt consideranda: 1. personæ testium, qui nimirum, quot & quomodo rectè adhibeantur. 2. Testatio & declaratio voluntatis. 3. Ipsum factum vel contestatio testium.*

XXXVIII.

Testes adhiberi possunt regulariter omnes, cum quibus est testamenti factio, id est, qui ex testamento capere possunt. *l. 1. l. 18. de testib. s. testes autem. 6. Instit. h. t.*

XXXIX.

Excipiuntur á prædictâ regulâ & testes prohibentur quidam naturâ, quidam lege.

XL.

Naturâ prohibentur, qui aut non intelligunt quid agatur, animi morbo, aut infirmitate iudicii impediti, ut furiosus, is cui bonis interdictum est,

B

impu-

impubes : aut percipere nequeunt, quid fiat, ut fur-
dus, mutus, cœcus, §. testes. *Inst. h.*

XLI.

Sed hic addubatur, num mutus & surdus hodie eadem distinctione, qua ex Iustiniani constitutione testari possunt, etiam testes esse possint? Sed cum olim hi ipsi testes esse non potuerunt, neque id expressè jure mutatum sit, hanc testimonii perhibendi facultatem contra jus vetus indulgere minime ipsis volumus. *arg. l. præcipimus. C. de Appellar.*

XLII.

Lege probibentur quidam esse testes in totum & in omni testamento; quidam ob privatas & peculiare causas in id tantum testamentum, de quo agitur incidenter.

XLIII.

Qui in totum prohibentur, vel ob statum personæ prohibentur, ut non cives. *l. 21. C. h. r.* Servi. *§. 6. Inst. h. r. l. 20. §. 7. C. h.* vel ob sexum, ut foeminae, *d. §. 6. Inst. h. & d. l. 20. §. 7. C. h.* quæ nec in codicillis & mortis causa donationibus testimonium perhibere possunt, propter rationis identitatem; vel ob damnationem publico judicio. *l. qui testamenta. §. cum qui. ff. h. r. l. 14. & 15. ff. de testam. ut repetundarum. l. 15. ff. de testibus.* item adulterii *l. 14. ff. eod.* Et denique quovis judicio redditi instabiles. *§. testes. §. Inst. de testam. l. 26. ff. qui testam. fac. poss.*

XLIV.

Privatæ causæ, ob quas quidam prohibentur esse testes, duæ sunt: potestas inter testatorem & testem constituta, & negotium testamenti, quod cum teste geritur. *§. sed neq. heres. 10. Inst. de testam.*

Ob

XLV.

Ob potestatem ad patris testamentum non potest adhiberi filiusfam §. *in testibus. Inst. h. t.*

XLVI.

Sed neq; pater admittitur ad testamentum filii familias, neq; is qui in ejusdem patris potestate est, si forte post missionem de castrensi aut quasi castrensi peculio testetur. Reprobatur enim ea in re domesticum testimonium d. §. *in testibus. Inst. h.*

XLVII.

Ob negotium, quod inter testatorem & testem geritur, testis esse prohibetur heres institutus, ut & is qui in ejus potestate est, item is qui cum in potestate habet, & deniq; fratres qui in ejusdem patris potestate sunt §. *sed neq; heres Inst. h. t. l. qui testamento 20. in pr. ff. qui testam. fac. poss.*

XLVIII.

Legatariis autem & fideicommissariis, quia non juris successores sunt, testimonium non denegamus, & multo magis iis qui in eorum potestate sunt, vel qui eos in potestate habent; hujusmodi licentiam damus §. *legatariis 11. Inst. de testam.*

XLIX.

Sed quæstionis jam est, an prædictæ personæ in testamento nuncupativo testes esse possint? Et affirmandum videtur.

L.

Adhibendi autem sunt in testamento perfecto testes non prohibiti numero septem §. *sed cum paulatim 3. verb. septem testibus, Inst. h. l. 3. unde liber. l. 2. de bono. poss. secund. tabb. l. 12. 21: & fin. C. h.*

L I.

Atq; hic numerus de Substantia est testamenti
l. 12. C. de testam. in tantum ut coram minori numero
 testium celebratum testamentum ne quidem in fo-
 ro animæ obliget.

L II.

Statuto tamen hic testium numerus minui po-
 test.

L III.

Hi autem testes specialiter ad hanc rem debent
 rogari *l. 21. §. pen. ff. hic l. 21. C. eod.*

L IV.

Eorumq; conditio spectanda eo tempore quo
 testamentum signant, ut si tum testes esse possint,
 nihil testamento noceat, si quid postea ipsis con-
 tingat, puta servitus, infamia, condemnatio, *l. ad testi-
 um 22. §. conditionem 1. ff. h.*

L V.

Testamentum autem quod servus omnium opi-
 nione pro libero homine habitus signavit, ratum &
 firmum est tam ex divi Hadriani, quam D. Severi
 rescripto *l. 1. C. de testam. §. Sed cum aliquis Inst. eod.*

L VI.

Insuper cum in septem illis testibus simpliciter
 ad hoc rogatis nullum vitium reperiatur, coram il-
 lis testator supremam suam voluntatem declarare
 debet, ita ut si ea quæ testamento sunt consignata
 scire testes nolit, scripturam clausam manibus tene-
 at, aut certè testibus præsentibus demonstrat, eamq;
 testamentum suum continere dicat *l. hac consultißima
 21. C. de testam.*

Non

L VII.

Non autem est necessum, ut testes sermonem, quo testamentum comprehensum est, intelligant l. qui testamento §. ult. ff. h. t.

L VIII.

Hisce peractis testator testes rogare debet ut subscribant & subsignent. quod & adeò verum ut si testis nomen suum non adscripserit, licet signaverit, pro non adhibito censeatur, l. 22. §. 4. l. pen. ff. qui testam. fac. post. l. 21. C. de testam.

L IX.

Omnes autem testes, qui ad testandi actum adhibentur, simul maneat donec suprema contestatio peracta, arg. l. 21. §. fin. l. 25. C. eod.

L X.

Deinde ipse quoq; testator in extrema parte subscribat: Si verò ipse testator testamentum non subscripserit sed ejus nomine alius: aut si literas nesciat, vel morbo impeditus subscribere nequeat, octavus aliquis adhibeatur, qui ejus nomine subscribat, d. l. hac consultissima 21. C. eod. l. cum antiquitus §. cum a. C. b. t. §. Sed cum paulatim Inst. de testam.

L XI.

Hæc autem subscriptio uno contextu fiat, simul & semel omnibus testibus præsentibus, eodem tempore, & nullo actu alieno interjecto.

L XII.

Quæritur: an contractus in testamento celebrari possit? Quod negatur arg. l. heredes palam §. ult. ff. de testam. l. cum antiquitas 28. C. eod.

LXIII.

Possunt autem omnes testes vel unius annulo signare, imò planè alieno, adeoq; ipsius etiam testatoris §. *possunt autem Inst. h. e. l. si unus 12. ff. de testam. l. ad testium §. ab ipso ff. eod.*

LXIV.

Sed quæritur num quovis alio signo characterem habente signari possit? quod affirmamus.

LXV.

Ordine nunc succedit testamentum nuncupativum, quod fit cum testator coram septem testibus idoneis, voce nuncupata, absq; ulla eorum subscriptione aut scripturâ, suæ voluntatis testationem enunciat §. *fin. Inst. de testam. l. hac, consultissima §. per nuncupationem l. in testamentis 26. C. de testam. Reinwaldig Th. 33.*

LXVI.

Forma itaq; nuncupativi testamenti est ipsa heredis coram testibus nuncupatio: qui olim defuncto testatore apud judicem sistebantur, & defuncti supremum iudicium exponebant *arg. l. 21. §. per nuncupationem 2. C. de testam.*

LXVII.

Hodiè in utroq; testamento majoris fidei causâ opera notarii aut tabellionis publici plerumq; adhibetur, qui voluntatem testatoris excipit, & rem gestam scripturæ suæ autoritate comprobare solet *Reichsabscheide sub tit. von Testamenten §. vnd sollen die Notarii. & seqq.*

LXVIII.

Non tamen propterea nuncupativum testamentum, quod in scripturam redactum sit, nuncupativum esse desinit, exemplo luculento consuetudinum

num Feudalium, & facit *l. 4. ff. de pignor. l. 4. ff. de fide instrum.*

LXIX.

Et ita Notarii scriptura per se plenam fidem facit, nec opus est ad probandam testatoris voluntatem testes sistere; neq; morte eorum testatoris voluntas corrui, voluntate instrumento semel probata *arg. l. in donationibus 31. C. de donat.*

LXX.

Explicato testamento solenni privato, scripto & nuncupativo, restat nunc testamentum minus solenne seu privilegiatum, quod nullis observatis solennitatibus est factum, adeoq; singulari valet privilegio *pr. Inst. de milit. testam.*

LXXI.

Ejus in jure hæ subsequentes reperiuntur species.

LXXII.

I. Testamentum militare quod milites in expeditione occupati faciunt, & quidem aliàs prohibiti, ut mutus ac surdus *s. 2. Inst. h. l. 4. ff. b. De statu suo dubitans l. 10. §. 1. ff. b. Deportatus aut capite damnatus ex militari delicto l. 11. pr. h. l. 6. s. 6. ff. de injust. rupto.*

LXXIII.

Et hoc testamentum qualitercunq; factum firratum est, sive enim in vagina, sive in Clypeo, sive in pulvere literis vel notis sanguine ipsius rutilantibus suprema militis voluntas inveniatur *l. 15. C. de testam. milit. l. Lucius 40. ff. eod.*

LXXIV.

Planè autem hic rejicimus sententiam quorundam

dam qui inter testamentum in expeditione seu castris, & inter id quod in ipso hostium congteffu seu conflictu, & sic in extremo vitæ periculo factum, distingunt: quasi illud valere non possit nisi coram duobus testibus ad id convocatis seu rogatis fiat, vel si in scripturam non sit redactum. Legitimis quidem probationibus militem testamentum fecisse probari debere, eamq; probationē per testes duos, vel per scripturam fieri posse expressi juris textus asserunt. *l. divus 24. ff. de testam. milit. §. planè Inst. de milit. testam. l. Lucius 40. in pr. ff. de testam. l. 19. C. de testam. l. 12. ff. de testibus.*

LXXV.

Vtrum autem adhuc hodiè milites jure militari testari possint quæstio est; Affirmativa sententia defendi potest.

LXXVI.

Satis evidenter igitur ex hisce apparet; ab hoc privilegio plane arceri catharmata illa, & erronee ac nebulones otiosos, qui nulli Domino serviunt *Gardi vnd Herren lose Knechte.*

LXXVII.

Post missionem verò, honestam scilicet non ignominiosam, veterani vel extra castra alii, si faciunt adhuc militantes testamentum, communi omnium civium Romanorum jure id facere debent: & quod in castris fecerint testamentum non jure communi, sed quomodo voluerint, intrà annum tantum valebit. *§. 3. Inst. de milit. testam.*

LXXVIII.

II. Ad testamentum privilegiatum pertinet testamentum inter liberos, sive enim id erit cœptum tantum

tantum neq; impletum adeoq; imperfectum sive
Codicillus, sive epistola, sive quacunq; alia qui-
buscunq; verbis relicta scriptura, valebit voluntas
patris inter liberos, *l. 21. §. 2. C. de testam. l. fin. C. famil. er-
cise. dummodo non fuerit inofficiosa, l. nam etsi ff. de
inoffic. testam. l. parentibus, C. eod.*

LXXX.

Hinc chartam testatoris manu exaratam, sine te-
stibus respectu liberorum quidem, non etiam respec-
ctu legatorum, quæ extraneis vel etiam ad pias cau-
sas relicta sunt, subsistere, affirmamus,

LXXXI.

Similiter huc pertinet testamentum rustici in pa-
go, ubi rarò reperiuntur homines docti testati, *l. ult.
C. h. r.*

LXXXII.

Et deniq; testamentum ad pias causas collatum
c. relatum est X. de testam.

LXXXIII.

Licet autem in testamento epidemiæ & pestis
tempore factò de juris solennitatibus sit aliquid re-
laxatum, ad id tamen firmum ratumq; sit septem
testium numerum de jure Civili præcisè requirimus,
licet Camerales aliud statuant, per *l. 8. C. de testam.*

LXXXIV.

Sic itaq; efficiente, materiali, & formali testa-
mentoribus causis visis ultrò sese nunc offert effe-
ctus sive finis, qui hic, ut, quod testator de bonis suis
fieri velit certò constet, eiusq; voluntas tanquam
lex aliqua conservetur, *Novell. 22. c. 1. l. 1. C. de SS. Ec-
cles.* Modo legibus non adversetur, cum nemo face-
re possit, quin leges in suo testamento locum habe-
ant, *l. nemo 58. ff. de legar. 1.* C Man.

LXXXV.

Mantiffæ loco obiter notandum, frequens esse
ut clausula, quæ à re ipsa vulgò Codicillaris dicitur,
testamenti & in primis pagano apponatur, ne sci-
licet ob omiffam fortè aliquam prædictarum solen-
nitatum in vitia testamentum incurrat & corruat.



Corollaria.

I.

*An Mercatores, Lanii & id genus hominum
quod castra sectatur, gaudeat privilegiis militariibus
in materiâ testamentorum N.*

II.

*An clausula Codicillaris operetur rupto testa-
mento per natiuitatem posthumi ignoranter præteris-
ti N.*

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

*Servitus omnis quin sit contra naturam non du-
bitamus.*

II.

*Anne hodierna illa pro salute alicujus bibendi
ratio, das Gesundheit trincken. tolleranda? N.*

III.


*Virum filius exheredari à patre possit, si uxorem
ducat, absq; ejus consensu: N.*



Ad MARTINUM SILLERUM SS. LL.
Studiofum de TESTAMENTIS
disputaturum.

SILLERE, Testamenta condis & audio.
*S*Testaris. at θεωλιας jam legibus
Testaris; olim legibus sed παλιεως.
Temet daturus. Age θεωλιας modum
Scrutare sic jam, ne carere ei accidat
Vivorum ἀπαυδι testium suffragio
Qui voce vivâ pro exarata litterâ
Testamina edant **SILLERINA** viriliter:
Hæc jubeo. Leges publicans testaminis,
De mentis auctu perge testari. Hæc præcor.

Christianus Sledanus, SS. Theol. D. &
profess. in Acad. Rostoch.




Iuveni politiss.


DN. MARTINO SILLERO SS. LL.
Studiofo, De Testamentis respons
denti.

Pandora Iuris quos gradatim perpolit
hos inter es **SILLERE**. Nam dictamina
ἀσχηματῶ presentis hocce suggerunt.
Te quo vigor ducit potentis ingent
age sequitor. Pandora nam Iuris tuis
felicia omnia destinat conatibus.

M. Petrus Höppener / P, C L.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.





the scale towards document

pletum adeoq; imperfectum sive
epistola, sive quacunq; alia qui-
s relicta scriptura, valebit voluntas
os, l. 21. s. 2. C. de testam. l. fin. C. famil. er-
non fuerit inofficiosa, l. nam et si ff. de
entibus, C. eod.

LXXX.

n testatoris manu exaratam, sine te-
iberorum quidem, non etiam respe-
quæ extraneis vel etiam ad pias cau-
subsistere, affirmamus,

LXXXI.

pertinet testamentum rustici in pa-
riuntur homines docti testati, l. ult.

LXXXII.

stamentum ad pias causas collatum
de testam.

LXXXIII.

in testamento epidemix & pestis
de juris solennitatibus sit aliquid re-
amenut firmum ratumq; sit septem
m de jure Civili præcisè requirimus,
aliud statuant, per l. 8. G. de testam.

LXXXIV.

ficiente, materiali, & formali testa-
tis visis ultrò sese nunc offert effe-
qui hic, ut, quod testator de bonis suo
ò constet, eiusq; voluntas tanquam
ervetur, Novell. 22. c. 1. l. 1. C. de SS. Ec-
us non adverteretur, cum nemo face-
eges in suo testamento locum habe-
de legat. 1. C Man.